Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2323
Quelle:
Copyright:

et mart. *Julianum* illum Sec. IV. martyrem *Antinopolitanum* in *Aegypto* habeo, de quo *Bailletus* in *Vit. SS.* ad 9. *Jan.* 4. Oratio nota: *Salve Regina* rhythmice κατα λεξιν exposita. Item VII. B. V. *Gaudia* rhythmis, qui editi dicuntur *Anno domini M°. CCC°. XVI°. a quodam cardinale.* 5. *Aureum Psalterium beate virginis*, quod inchoat:

Te nunc in memoriam reuocem saluator.
Assit benignissimus mihi consolator &c.

aliique multi *Hymni* de Fidei Mysteriis, et Festis SS. ut adeo *Codex* hic *Codici* CXXXV. geminus non contemnendum *Historiae Poematum Leyserianae* Subplementum videri possit, variaque praebeat ad temporis sui res observatu digna. In ejus principio haec manus posterioris nota jacet: *Anno M° CCCC° XXX° VII. obijt adolphus dux montensis cui successit domicellus de rauensb.* (Wilhelmus filius tertiog. electus Paderborn. et Colon. Ep. sed abdicator.) *Item XXXVIII°. obijt Sigismundus romanorum rex imperator vngarie et bohemie rex. XIX die mensis marcij aelbertus dux austrie electus est in regem romanorum et eodem anno 2a feria post festum pasche electus est* — —. Reliqua extrita. Sed in summa *fol.* ora legitur: *Jeroboysat clemens dum scribitur 1378.* Partes igitur *Urbani* VI. tuebatur Scriptor contra *Robertum Gebennens.* dictum *Clementem* VII. quem *Jeroboamo* confert.

DCXIV.

356 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 18. f. per duas columnas exaratus, olimque, ut ad calcem notatur, *Monachorum S. Marie in himmerode* (Hemmenrode, Himmelrode) *ordinis Cistercien. Treuiren. dioc.* complectitur: I. *Bernardi* Monachi *Cluniacensis*, quem quidam, ut videre est in *Tanneri Bibl. Brit. Anglum* volunt: alii *Morlanensem*, *Morlacensem*, aut *Morvalensem* a *Morlaco*, *Morlas* vel *Valle Morienne* in *Gallia* adpellant, Scriptoris Sec. XII. *Libros III. de Contemtu Mundi* miro artificio versibus hexametris dactylicoleoninis fluidissime compositos, qui prorsus alii sunt ab elegiaco *Carmine de Contemtu Mundi*, quod *Gabr. Gerberonius* inter *Anselmi* Opera *Paris.* 1721. f. p. 195. vulgavit, quamvis et istud *Oudinus* T. II. *col.* 1276. non aegre *Bernardo* nostro tribuat, qua in re nescio, an multorum suffragia tulerit. *Gerberonius* certe nihil adserit in *Censura* praevia, nisi *in Ms. Bibl. Aldenburg. Carmen de Contemtu Mundi tribui Bernardo Cluniacensi*, quod utique de III. *Libris* nostris intelligi potest. Nacti sunt hi, cum multo sale corruptos etiam Cleri mores perfricent, Edito-